

DISSERTATIO MEDICA
SISTENS
ÆTIOLOGIÆ CATARRHI
PRIMAS LINEAS.

QUAM
AUCTORITATE EXPER. ORD. MEDICOR. ABOËNS.

MODERANTE
DOCT. GABRIELE ERICO
HAARTMAN,

MED. FRACT. PROF. REG. ET ORD. REG. ACAD. SCIENT. ET SOCIET.
PATR. HOLM. NEC NON OEGON. FENN. MEMBRO.

PRO GRADU DOCTORIS
P. P.

HENRICUS DEUTSCH,
MED. PROVING. ALAND.

In Auditorio Majori die I Junii MDCCCLII.
Horis a. & p. m. consuetis.

ABOÆ,
In Officina FRENCKELLIANA.

1.

J. B.



*Neque enim credunt, posse eum scire; quomodo morbos
curare convenient, qui unde bi sint ignoret.*

CORN. CELSUS.

Quantum laboris operæque in eruendis morborum causis, artis Machiaoniæ omni ævo impenderint cultores, facile intelliget, qui Systemata Medicorum post *Hippocratem*, (vetustiorum namque parum refert meminisse), usque ad novi Systematis celebrem conditorem, probe examinaverit. Tanta vero cura atque diligentia ipsos hac in re suis se versatos, mirum non est nec cuiquam videbitur, qui in memoriam revocaverit vetus illud itemque verissimum in Physicis rebus axioma, eum qui effectum tollere cuperit, causam ex qua idem sit natus, probe, ne in detegenda ratione, ad causam removendam idonea hallucinetur, cognoscere debere. Quemadmodum vero iis, qui in scientiis practicis proficere voluerint, monente jam dudum *Aristotele*, duplex patet via, ita duplice quoque Medicos, in causis morborum detegendis ingressos suis se viam, alteram scilicet



licet experimentis illustratam, alteram vero ratiocinii innixam, ex Historia liquet Medicinæ; quarum tamen illa, utpote asperior magisque ardua ac latebrofa, ad incedendum difficultis est, hæc autem brevitate & facilitate fœse commendans, multo plures allicit sectatores. Quamvis enim omnes in eo consentiant, quod natura corporum parum omnino a priori innovescat, omniaque naturæ phænomena accuratius experiendo indagari; in premendis tamen naturæ vestigiis adeo mens humana plurimique defatigatur, ut longam istam valdeque obscuram prætimens viam, hypotheses lychnorum instar arripiat, quibus totum se protinus lustraturum fore sperat cursum: atque sic naturam quam timidis sequi conveniret passibus, rapido temere relinquere nütitur cursu a). Quod idem de toties agitata circa genesis Catarrhi quæstione valet. Prout Medicina sic dicta humoralis, nervosa, chymiatrica vel alia quæcunque præevaluerit, ita quoque Medicorum de hujus morbi ætiologia variatae sunt sententiæ, circa causam ejus proximam præcipue discrepantes. Hinc itaque & cum nostræ in primis regiones, Catarrhalibus ejusmodi affectionibus vehe-

A 2

men-

a) Aliis igitur sagacioribus ad dijudicandam merito commendamus Celeberrimi quondam Philosophi Maupertuis ingenuam confessionem: "Les systèmes sont des vrais malheurs pour les sciences. Un auteur systematique, ne voit plus la nature, il ne voit que son ouvrage propre."

menter adeo sint vexatae, ut tanto accuratiori mereantur subjici examini, quanto funestiora & dolose quasi irrepentia afferant damna b), Ætiologiæ Catarrhi primas lineas exponere constituimus, non quidem veritates comprobatas obtrudendi consilio, sed potius animo problemata ad experientiæ lancem accuratius exploranda, acutiori aliorum judicio subjiciendi.

Catarrhi nomine intelligitur membranæ, a Cl. Schneidero nomen adeptæ, narium cavitatem finusque sic dictos maxillares, frontales & sphænoidales investientis affectio morbosa, qua peculiaris harum partium præter modum accumulatur pituitosa colluvies, cuius vero pro re nata sive aucta sive cohibita deprehenditur destillatio c); undeque discrimen inter Coryzam & Gravedinem facere solent Medici. Inter hæc autem vitia ea subest differentia, quod in Coryza humor fecernendus non modo copiosius accumuletur, sed propter tenuitatem singularemque si ita dicere fas est

b) Non modo plitis in inevitabilem approperat mortem, sed etiam pectoris viscera debilitando, neglecta Catarrhi cura inducit labem. Cfr. *Tissot Oeuvres* T. II. p. 147 sq. *Vogel Handb.* II Th. p. 291 sq. *Cullen First Etnes Vol.* III. p. 90. *J. P. Frank de curand. hom. morb.* T. V. p. 106, 122, 140. *Sprengel Pathol.* II Th. p. 95.

c) *Cognitionem æque ac dissimilitudinem harum affectionum pro more concinne dudum descriptæ* Celsus L. IV. Cap. 4.

est acrimoniam, uberius quoque e suis destillet emunctoriis; in Gravedine autem mueus adfluat spissior tenaciorque, qui ductus secretorios alioquin etiam coarctatos permeare nequit, ideoque retentus accumulatusque organa ista amplius distendit adeoque turgida reddit, ut hac via quasi occlusa, spiritum nonnisi ore aperto ducere possint. Haud raro adjacentes quoque partes ista corripit labes, Pharyngem nempe, Laryngem, Bronchias & Pulmones, diversaque tum, proportione loci affecti, habet symptomata diversisque distinguitur nominibus, sicut vetus docet versiculus:

*Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus,
Ad Fauces Branchus, ad naves esto Coryza.*

Cum autem communem secundum observationes Medicorum, haec mala agnoscant originem, eandemque causam proximam, nihil impedit, quominus ad idem referantur genus, quamvis diversis locis, diversaque sub forma fese praebant conspicienda.

Præter jam dictam mucosam colluviem, varia Catarrhum comitari solent symptomata, hic quoque a nobis, quatenus nostram qualemcunque confirmant Ætiologiæ sive explicationem, pancis recensenda. Præcipua vero haec sunt: dolor capitis obtusus frontem ac orbitas præcipue occupans, nuchæ cervicisve molesta rigiditas, aurium tinnitus, lacrymatio, oculorumque austra sensilitas, obstructio narum, frequentibus comitata sternutationibus, atque olfactus im-

minutus; quibus pro varia morbi gravitate adjungere sese plerumque solet febris, modo gravior, modo mitior, speciem ferens constitutionis epidemicæ. Alia vero haud raro occurrit febris catarrhalis, quæ epidemicæ grasfari solet & ab una regione ad alias gradatim quasi propagari, vehementia quamvis differenti, non minus quam crebritate sua celebris; cuius quidem diversis locis, diversoque tempore grasfantis, multas habemus præclaras historias d). Fauces autem ista colluvie affectas deglutitionis prosequitur molestia; quum vero ad bronchias pulmonesque descendenter malum, respirandi succedit difficultas, tussisque initio siccæ, postea ut vocant humida, noctu speciatim ingravescens. Quo gravior autem morbus, eo sensiliores sunt partes affectæ; saepeque adjunctam sibi habet aut mox aut postea supervenientem inflammationem, fauces præcipue ac pectoris viscera haud leviter occupantem.

Prædisponentes hujus morbi causæ diligentissimis quoque Medicorum innotuerunt observationibus,
opti-

d) Cfr. *Hoffman* Med. Rat. Syst. Vol. IV. f. 1. c. 6. *Huxham* Opp. Vol. II. p. 402. *Haller* Disf. Pract. Vol. V. p. 297. *Baldinger* N. Magaz. IV B. 5 St. *Wittwer* über den jungsten epid. Catarrh. Nürnb. 1762. Auserl. Abh. zum gebr. Pr. A. VIII. B. I. St. p. 52 & 74. *Hufeland's Journ.* IX. B. 4 St. p. 92. cæterosque apud *Baldinger* l. c. V. B. 2 St. S. G. *Vogel* l. c. 2 Th. p. 281 sq. & *Spiering* Handb., I B. 2 Th. p. 197, citatos.

optimeque in tres distribuuntur classes, quatenus scilicet respiciant, aut ipsius corporis affecti, aut loci climatisye, aut denique constitutionis epidemicæ indolem. Certo namque constat, homines laxioris & sensilioris habitus, vitae otiosæ atque luxuriæ deditos, voluptatis libidinisque illecebribus effectos, turbulentis animi motibus fractos, vigiliis, nocturnis lucubrationibus ac morbis prægressis exhaustos, nec non generre victus & amictus, atque cubiculis nimis calidis infirmitatos, morbis catarrhosis speciatim affici. Ex observationibus Medicorum insuper liquet, omnia, quæ topicam partium supra descriptarum struunt imbecillitatem, hisce morbis prægignendis egregie favere; eamque ob causam Tibicines & quod in nostra Patria frequens confirmavit experientia, Sacerdotes, ista affliguntur labe *e*). Quidam præterea hominum, præfertim Phtisici ac Scrophulosi singulari ad Catarrhos laborant proclivitate *f*). At non modo idiosyncrasiae, verum etiam climatis, ut supra monuimus, ad Catarrhales affectus promovendos magna est vis atque efficacia. Loca enim frigida vel ex frigido humida, paludosa vel etiam continuæ gelidorum ventorum injuriæ atque crebris aëris vicisitudinibus obnoxia,

e) S. G. Vogel I. c. p. 284. *Frank* I. c. p. 155.

f) Grant Beobacht. über die Heil. der Fieber p. 412. *Soemering de Morb. Valor.* abf. p. 33.

noxia, Catarrhalibus morbis sæpissime vexantur *g*). Quantus denique sit constitutionis epidemicæ, ad distribuendas hujas morbi strages effectus, ex febrium catarrhalium, certis anni temporibus, certisque dominantibus epidemias, frequentia appetet, quæ, ut monet Cel. *Bang*, tanta interdum fuit, ut nec Medici nec Medicamenta ægrotis sufficerint.

Causas Catarrhi sic dictas occasioales exponendo, ipsam ejus genesis pro suo quemque modulo explicare quidem admisi fuerunt plerique Pathologi; sed proximam eos causam cum illis simul confudisse, scripta eorum testantur. Cum enim plurimos Catarrhos e transpiratione cohibita, vel per refrigerationem sudanti in primis corpori admisam, repente suppressa oriri, atque iis anni temporibus, quibus aër maximas subire solet vicissitudines, multo esse frequentiores *h*) quotidiana doceat experientia; hinc concludere voluerunt, materiam sic dictam perspirabilem velut repercussam, ut exitum sibi paret, supra significa-

g) In Belgia endemicum esse morbum monet Cel. Vogel I. c. Michell Abhandl. von den Nervenkrankh. p. 24. Frequentes quoque in Anglia teste Cel. Grant I. c. occurunt; neque hanc nostram urbem propter paludofum ejus situm, altis montibus ac collibus circumdatum, ab eodem hoc malo diu liberam fuisse compertum est.

b) Sprengel I. c. II Th. p. 98. 110.

ticatas Catarrhi petere sedes *i*). Hanc vero opinionem suam, eo potissimum comprobare annisi fuerunt argumento, quod aliæ quoque evacuationum suppressiones eundem producant effectum, sicut plures docent morborum historiæ; quod in primis valet de ulceribus antiquis, fonticulis vetustioribus, exanthematicis cutaneis, utpote *Tinea capitis*, *Herpete humida*, intempestive sanatis, ut etiam de *Fluore albo habituali* suppresso. Quocirca neque vana est observatio Cel. *Wintringham k*), amputationes artuum, affectiones aliquando adferre catarrhales, licet perperam inde concludat Cel. Vir, imminutam jam, per mutilationem corporis, materiae sic dictæ perspirabilis evacuationem, narium copiose emunctione refarciri. Quam vero dubia imbecillisque admodum innixa fundamentis hæc sit hypothesis, gravissimis minimeque ex nostra opinione refutandis argumentis probavit *Weikard l*), quippe qui inter alia, quorum mentionem fecit exempla, maxime memorabile attulit hominis cuiusdam, qui post vigilias nocturnaque convivia in balneo frigidiusculo, (quibus omnibus perspirationis necessario consumerentur subsidia), per plures dormivit horas, nullas inde perpersus molestias *m*).

B.

Pe-

i) *Frank L c. p. 126.*

k) *Aphorism. N. 79.*

l) *Verm. Schrift, I. St. p. 1 sq. Cfr. ulterius Sprengel 1, c. p. 109, cet.*

m) *I. c. p. 15.*

Peculiarem aëris constitutionem alii tanquam causam hujus morbi procatarrticam proximamque eo accusabant jure, quod febres sic dictæ catarrhales, more epidemicorum morborum, longe lateque per populum, sine respectu corporis constitutionis vel habitus, grassetur, robustissimique sœpe, æque ac debiles homines, haud dispari vehementia, atque prægressis diætæ erroribus, illico corripiantur. Indubitate autem hoc phænomenon, ex multiformibus aëris qualitatibus aliter atque aliter explicare placuit medicorum rerum peritis. Alii namque, inter quos eminet Cel. *Hamilton n*), quoddam accusarunt in aëre obvoltans contagium, quod aliorum miasmatum instar speciali quadam agendi ratione homines corriperet, non modo quotquot ad catarrhos inclinati esent affetti, sed etiam multos alias, quos ab eo morbo credideris immunes esse, atque variis quidem hanc suam opinionem confirmare fategerunt argumentis. Sic e. g. celebrem istam An. 1782 grassetem epidemiam catarrhalem, ortum suum e pestiferis desertorum Sibericorum halitibus, particulis nitrofisis & salinis repletis, duxisse perhibent o), observationemque Cel. *Watson p*), Catarrhos per aestum maris fieri frequentes;

n) Abhandl. einer Med. Gesellsch. in Lond. III. B. p. 276;
Sprengel l. c. p. 111.

o) Sprengel l. c.

p) Philos. Transact. Vol. LII. P. II. p. 477.

8.) ii (8

tiores, ab ejusdem tum copioso exhalatione contagii semina s^epe progenerante lateque spargente explicantes. Sed cum innumera existent exempla, quae Catarrhi absque contagii suspicione genesin probent, Cel. *Duncan* potius assentimur, qui febres istas epidemicas, singulare statuit exhibere morbi genus, cui affectiones catarrhales symptomatis instar sese adjungunt q). Magis vero implicatam &, ut nobis quidem videtur, nullis idoneis argumentis aut experientiae testimo*niis* satis comprobatam Cel. *Wittver* exco^{gi}gitavit hypothesin, vicisitudines scilicet aëris, morbos^a in cute producta impresione, spasmodum quendam cutaneum, quo perspiratio supprimeretur simulque causa nasceretur catarrhi, excitare r). Cel. *Weikard* in multis quidem huic assentitur; sed putat simul, inhalationem vel absorptionem vasorum lymphaticorum cutaneorum esse accusandam, quippe qua noxiæ in corpore introduceantur particulæ, modo Rheumatos, modo Catarrhos excitantes s). Multo autem magis ingeniosa nobis quidem videtur illa hypothesis, qua statuitur, materiæ electricæ negativæ in corpore augmentum, Catarrhos procreare, utpote quæ multis confirmari potest observationibus; aucta enim per Isolatores Electricitas positiva, non modo optimam

B 2

sistit

g) Krankengesch. p. 49.

r) *Vogel* l. c. p. 287.

s) l. c. p. 18 sq.

stit aduersus istos morbos prophylaxin, sed etiam haud spernendum remedium *t*); unde quoque industia ex lana texta nudo corpori adaptata, frictione in cute excitata indeque electricitate aucta, haud sine fructu aduersus eosdem adhibentur morbos *u*). Sed neque haec ratiocinandi formula, ex nostra quidem sententia, ipsam explicat morbi constructionem, sed causam tantummodo occasionalem. Idem quoque valet de observatione Cel. *Fourcroy v*), oxygenium aëri respirabili majori admixtum copia, artificiale producere Catarrhum *x*); concedendum quamvis sit, quod & ipse crebro comperuimus, homines quosdam sensiliores, dum aërem frigidum respirant, singulari & integrato quodam affici aëris sensu, e causticis ejus particulis fortassis derivando, atque ex eodem quoque fonte explicari posse phænomenon a Pathologis quibusdam commemoratum, affectus nimirum catarrhales, quosdam morbos e. g. Morbillos, Scarlatinam, &cet., tanquam necessaria comitari symptomata. De hocce namque Oxygenii stimulo idem valet, quod de errhi-

t) Spiering Handb. I. B. 2. Th. p. 205. Sprengel l. c. p. 111.

u) Weikard l. c. p. 27.

v) Reil's Arch. für die Physiol. IV. B. II. St. p. 142.

x) Hoc ipso Cel. Baumes opinio de Catarrhi genesi nititur fundamento, quamvis leviorē istam esse corporis oxygenationem, ideoque ad statum inflammatorium quam proxime accedere moneat; cfr. Medic. Nation, Zeit, 1799, p. 324,

errbinis omnibus compertum est, catarrhalem scilicet statum iisdem excitari posse, quamvis causam proximam minime constituant.

Alii demum, febres catarrhales epidemicas a vermis minutissimis invisibilibus aquæ immixtis derivandas explicare sunt annisi ^{y)}; quam vero opinionem, ut idoneis experimentis haud confirmatam, eo majori jure in dubium vocare convenit, quo parciōr jamjam fieri cōperit *Ætiologia verminosa*.

At genesin morborum aceratius pensitantes facile perspecturos fore arbitramur, causarum occasionalium notitiam, ad illam intelligendam minime sufficiere, nisi simul considerentur mutationes formæ ac mixtionis, ut Cel. *Reilii* utamur dicendi formula in ipso corpore ab illis deducendæ. Unde quoque apparet, quam incompleta ac manca sit ipsa hæc *Catarrhi Ætiologia*, cum causas tantum attingat prædisponentes & occasioñales, ipsam vero morbi constructionem minime explicet. Aliud igitur hujus rei fundamentum jaciendum esse facile intelleximus; unde vero petendum eset, non æque patuit, antequam immortali suo Cel. *Mascagni* opere ^{z)} faciem nobis hac in re prætulisset. Observat scilicet Cel. Vir (l.

^{y)} *Spiering* l. c. p. 202.

^{z)} *Varor. Lymphat. corp. hum. Hist. & Ichniogr.* p. 23.

c.), quod nobis quoque sæpius deprehendere contigit, pedibus aqua per aliquod tempus immersis, fluxionem capitis sive Catarrhum succedere; quod quidem phænomenon manifeste explicasse nobis videatur, dum monet, wæsa lymphatica, organa capitis id eoque etiam membranam Schneiderianam perreptantia, propter nimis repletum, per auctam in pedibus absorptionem, commune lymphæ receptaculum, suo muneri perfungendo non sufficere. Atque hinc ad eam commode perveniri conclusionem arbitramur, quod impedita vasorum mox dictorum lymphaticorum absorptio, quæcunque demum ejus fuerit causa occasionalis, causam fistat affectionum catarrhalium proximam. Quæ vero opinio, ut evidentior certiorque evadat, videndum jam est, quatenus non minus symptomatibus, quam causis prædisponentibus ac occasionalibus, nec non medendi methodo respondeat.

Quod igitur ad symptomata Catarrhi attinet, facile perspici putamus, impeditam in capite vasorum lymphaticorum actionem, congestionum tantas struere moles, quantas ex his impedimentis cum humorum affluxu comparatis exspectare licet, eaque ratione symptomata fieri plura atque graviora, quo vehementiores insignioresque ortæ fuerint congestiones *aa*). Quæ vero quantaque congestionum ad se-
cre-

aa) Quatenus congestiones tanquam Catarrhi causam accusa-

cretiones non modo augendas sed etiam mutandas sit vis atque efficacia, quantaque inter congestiones & inflammations sit cognatio, Pathologiae scriptoribus accuratius explicatum est *bb*), quam ut nostra egeat illustratione. Sufficiat tantum adnotasse, hæc omnia probe pensitantibus facile esse perspectu, symptomata catarrhi ad hanc normam explicata nostræ opinio-
ni minime refragari.

Quum vero jani appareat, ex hac per suppressam vasorum lymphaticorum actionem illata conges-
tione, phænomena Catarrhi dilucide posse explicari, inde quoque liquet, eo grandiores magisque complicatos quasi fieri congestionis effectus, quo plures ad eam provocandam contulerint causæ, tam prædisponentes quam occasioales. Adnotandum autem est, diversæ eas esse indolis, ut mox demonstrabitur, in eo tantum sibi similes, quod actionem venarum capitis lymphaticarum suppressant. Aliæ namque cau-
fæ vi quadam specialiter stimulante agentes, tantum ad hæc loca concitant humorum affluxum, ut, con-
gestionibus inde obortis, superfluum vasa lymphatica
neque-

mus, Cel. quidem assentimur *Burserio* (cfr. ejusdem *Instit. Med.* Vol. III p. 307.) in eo autem ab ejus sententia discrepamus, quod turbatis valorum lymphatico-
rum functionibus, quarum is ne minimam quidem fecit mentionem, primariam tribuerimus Catarrhi causam.

bb) Sprengel I, c. I. Th., p. 259 lq.

nequeant absorbere pituitosum laticem; cujus generis sunt non minus quæ sensitatem ac irritabilitatem hujus loci adaugent, sed etiam quævis irritantia externa, utpote errhina, vapores acriores, nec non ipsum in aëre obvolitans oxygenium. Pessimæ igitur indolis ex hoc fonte oboriri vitia catarrhalia, vel exinde probatur, quod congestiones, a stimulo quodam saltim permanente profluxæ, multo pertinaciores sint, quam si ab alia quacunque originem suam deduxerint causa, in primis, cum stata sit œconomiæ animallis lex, remoto nonnunquam ipsius stimuli attractu, aliquamdiu etiam postea remanere ejus effectum *cc*), stimulorumque ad motus excitandos spasticos, novos quasi infirmitatum fontes, haud parvam esse efficaciam *dd*). Aliæ porro Catarrhorum causæ, vi sua irritabilitatem atque contractilitatem vasorum lymphaticorum infringendi, facultatem eorum forbendi modo suppressimunt, modo adimunt; indeque facilime explicari posse putamus, cur gelidus aëris, corpore quamvis optime tecto eamque ob causam sudante, pulmonibus inspiratus, vi sua debilitante, gravissimum catarrhalium morborum genesi faveat. Aliæ deum ex prædictis causis, resorptionem in reliqua cor-

cc) Quis e. g. ignorat pertinaciam Symptomatum syphiliticorum, post ipsam etiam Luem exstirpatam perseverantium, ab hac causa esse derivandum.

dd) Sprengel I. c. I. Th. §. 199 sq.

corporis superficie adaugendo, vasorum membranæ pituitariæ lymphaticorum evacuationem in communæ receptaculum impediunt; facile namque intelligitur, vasa lymphatica superficialia, vel ob cutaneam perspirationem quacunque de causa suppressam, vel etiam ob halitum atmosphæræ ab his vasis majori quantitate resorptionem, tanta humorum inundari quantitate, ut hisce repletum quoque lymphæ receptaculum, reliquorum vasorum sorbentium exonerationi locum concedere non possit. Ex ista autem diversa causarum agendi ratione, diversam quoque procreari Catarrhi formam, merito arbitramur, quod, ut sœpe comperuimus, aëris injuriis minime assuefacti multumque irritabiles homines, utpote foeminæ delicatulæ, Scrophulosi ac Phtici, aëris frigidusculi respirationi aliquantis per expositi, *Coryza* haud levi subito corripiantur, cum contra in conclavi tepidiori versantes, ex inopinata corporis denudatione vel alia quæcunque causa refrigerationem perpesfi, Gravedinem potius quam destillationem sibi contrahant. Quæ enim causæ facultate gaudent organa respirationis stimulandi, acutiores & vehementiores plerumque Catarrhi excitant speciem una cum destillatione modo mucosa, modo aceriori corrodente, veramque hoc pacto accendent febrim vasorum lymphaticorum a Cel. *Reil* ingeniose descriptam ee). Contra

C

tra

ee) Ueber die Erkenntn. u. Cur der Fieber, II. B. p. 201.

tra vero quæ vim & efficaciam vasorum lymphaticorum infringunt hebetioremque reddunt causæ, chronicos inveteratosque aliquando producunt Catarrhos *ff*), in quorum numerum referendum quoque esse, quæ vetulos afficere solent affectiones catarrhales *gg*) in Ozænam sæpe degenerantes facile patet. Quum vero plures harum causarum, in Catarrhi genesi teste experientia sæpe concurrent, per se patet eo vehementiores fieri affectus & symptomata, quo magis vasorum lymphaticorum ad nares partesque adjacentes pertinentium actionem retardarint vel cohibuerint, colluviemque pituitæ in naribus adauixerint. Ex nostra igitur Catarrhi Ætiologia com mode explicari posse putamus diversas illas ab Autoribus allatas febrium catarrhalium complicationes; quia scilicet harum affectionum constructio non impedit, quo minus etjam aliæ simul confluere possint causæ, ex quibus varias species febris vasorum *hh*) oriri constat. Ex eadem quoque intelligi posse sperramus, cur affectus catarrhales, ex gravissimorum virorum testimoniis *ii*) plerumque sibi adjunctam habent constitutionem corporis inflammatoriam, licet qui-

ff) *Frank* l. c. p. 124. *Sprengel* l. c. II, Th. p. 97.

gg) *Frank* l. c. p. 112.

hh) *Reit* l. c. p. 1 sq.

ii, *Cullen* First Lines l. c. p. 99, ceter.

quidem alii Celebres Viri contrariam soveant senten-
tiam *kk*). Neque nostræ hypothesi migrationes fe-
brium catarrhalinæ singulares repugnare putamus,
utpote quæ ex translato aëris superfluo oxygenio,
omnes istas procreante congestionum sequelas, faci-
li explicantur negotio. Cur autem Phtisici ac Ser-
phulosi etiam frequentius Catarrhali morbo laborent,
aliunde non est repetendum quam ex eo, quod ir-
ritabilitas systematis lymphatici apud ipsos magis sit
concitata & irregularis, eamque ob causam turbis, ut
suspiciamur, frequentius exposita. Quæ vero a Cel.
Hufeland traditur observatio *ll*), Podagricos raro Ca-
tarrhosis corripi affectibus, nostræ minime adverfa-
tur opinioni, eum ex ingeniosa Cel. *Acrel* hypothe-
si *mm*), quæ multis stabiliri potest argumentis, dilu-
cide admodum constet, vasa lymphatica artuum, ob-
nimiam nutrientis laticis accumulationem, viribus
quasi exhaustis, sua haud rite apud homines poda-
gricos obire negotia *nn*).

Si curam demum hujus morbi respexerimus,
haud levia inde quoque ad nostræ opinionis confir-

kk) *Hufelands Journ.* X. B. p. 101.

ll) *Neueste Annal. der Franzöf. Arzneyk.* III. B. p. 154.

mm) *Disf. de Nutrimento corp. superfl.* ut vera Arthritis
causa. *Upsal.* 1787.

nn) *Disf. cit.* p. 16.

mationem redundare putamus argumenta. Ut enim in confessio est, simplicem Catarrham nulla alia desiderare remedia, quam quæ actionem vasorum absorbentium in naribus ac reliquis partibus lœsis ad æquilibrium quasi cum humorum affluxu restituant, ita neque ex altera parte negandum, æquilibrium hocce, sœpissime vel sola obtineri abstinentia, nisi aut valde vehemens sit malum, aut debiles admodum irritabilesque fuerint ægrotantes: vere namque monet Celsus, "raro fit, ut si biduo, vel certe triduo nobis temperavimus, id vitium non levetur." Quod autem robustiorum hominum quidam, a Catarrbis quamvis vehementioribus, facile sese expediant, alii vero iisdem licet observatis cautelis, pertinaciam eorum experiantur, hoc quidem inde explicandum esse putamus, quod restitutio negotii resorbendi facilius illis quam his succedat, vel etiam quod in venam subclaviam vasa capitis absorbentia, lympham apud illos directe, apud hos vero in commune receptaculum exonerent ^{oo).} Pharmaca insuper a Medieis contra hunc morbum commendata, (licet eo consilio, ut turbas in actione systematis absorbentis tollant, vix proponantur), eundem tamen procreare effectum facile dabit, qui Venæ Sectio-
nis

^{oo)} Duplicem hunc venarum lymphaticarum e capite reduntium finem describit Cel. *Muscagni* l. c. p. 64.

nis pp), Laxantium qq), Diaphoreticorum, demulcentium, ac derivantium, ad hunc obtinendum finem, utilitatem non ignoraverit. Ubi vero aliæ affectiones morbosæ catarrhalibus complicatæ fuerint, harumque constructionem ingressæ, experientia præeunte facile patet, ejusmodi, (sive methodo sthenica sive asthenica, prout diversi casus postulare videntur) adhibenda esse remedia, quæ istas affectiones tollere possint viamque ad actionem systematis lymphatici restituendam parare rr). Qua vero ratione balnea atque fomentationes pedum in catarrhosis vietiis prosint, explicatu difficilius esset, nisi lucem hac in re attulisset ingeniosa Cel. *Hahnemann* de medicamentorum agendi methodo hypothesis ss); quam-

C 3

vero,

pp) In affectionibus catarrhalibus asthenicis Venæ Sectionem merito esse improbandam nemo negabit; cfr. *Hufeland's Journ.* X. B. p. 101.

qq) Quod hæc etiam interdum noceant remedia, ut in *Hufeland's Neuëste Annal.* I. c. p. 151 monitum est, noltræ opinioni minime repugnat.

rr) Facile quoque ex his perspicitur, quantum utilitatis, ad sublevanda hujus generis mala, a methodo Cel. *Müdge* (in *Abhandl. von den Catarrhal. husten.* Leipz. 1780. proposita), quæ valde nobis arridet, sit exspectandum, utpote quæ stimulum imminuendo, causam congelionis actionisque venarum lymphaticarum capit is sublatæ removeat.

ss) Cfr. *Hufeland's Journ.* II. B. p. 591, sq.

vero si quis impeditiorem aut nimis quæsitam judi-
caverit, probabiliorem fortassis censem explicationem,
quod aucta, balneorum & fomentationum o-
pe, repletione vasorum absorbentium capitis, major
eorum excitetur reactio functiones eosque quasi
consopitas restituendi. Neque ulla alia ratione me-
thodus a Cel. *Moneta* ad curam catarrhi proposita
commode explicari forsitan poterit, nisi quod actione
venarum lymphaticarum superficialium suppressa vel
hebetiori facta, resorptio in capite promoveatur
causaque ideo ipsius catarrhi deleatur.

